



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XII. Ex odio, qui Deus peccatum mortale prosequitur, nec non ex ijs,
quæ ad destruendum illud fecit, eiusdem gravitatem apparere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

poenæ, & ad dandam eis gratiæ, æternæque gloriæ vitam in corporibus, & animabus, resurrexit.

Ex odio, quo Deus peccatum mortale prosequitur, nec non ex ijs, quæ ad destruendum illud fecit, eiusdem gravitatem apparere.

C A P. XII.

Bonitas malitiæ contraria est, & iustitia iniquitati; ideoque boni, ac iusti homines peccatum, hoc est, malitiam, & iniquitatem vehementer odierunt. *a* *Omnis, homo, inquit S. Ioannes, qui facit peccatum, iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas.* Vocatur malum opus peccatum, quia deest ei reuerentia, quam habere deberet, & vocatur *iniquitas*, quia contrarium est legi Dei, & vocatur *iniustitia*, quia contrarium est virtuti, quæ iustitia generalis dicitur. Homo bonus, ac iustus totum hoc, quod peccatum, & malitia est, odit. *b* *Qui diligitis Dominum,*

a 1. Ioan. 3. 4. *b* Ps. 96. 10.

num, inquit Psalmista, *odite malum*. Et quoniam ex amore Dei odium peccati nascitur, hinc fit, vt is, qui iustior est Deumque magis amat, maiore odii malitiam persequatur. Et cum Deus bonus sit, ac iustus, sequitur, eum magnoperè peccatum odisse: cumque sit infinitè bonus, & infinitè iustus, sequitur, horrorem, & odium, quo peccatum prosequitur, esse infinitum. *Deus auersatur omnem iniustitiam*, id est, omne peccatum, ait Moyses, *b Abominabile Domino*, inquit Sapiens, *cor prauum*, hoc est, illud, quod in aliquo peccatum consensit. Hanc auersionem, atque hoc odium, quo Deus peccatum prosequitur, ipse declarauit, dum illud persecutus est in quolibet loco, ac personâ, vbi id inuenit, & quidè grauissimis pœnis, quæ summam admirationem mouent, ac terrorem. Creauit in cœli Angelos, excellentissimas creaturas, magne perfectionis, mirabilis pulchritudinis, & ornatas suâ gratiâ, quæ est

ocu.

a Deut. 25, 16, b Prov. 11, 20.

oculis ipsius admodum gratas, & infinitæ illius bonitati perquam dilectas reddebat. *a* Multi ex his Angelis peccato mortali consenserunt; eodemque statim momento, quo Deus illos in id lapsos vidit, amor, quo eos prosequabatur, in odium, & aversionem ab eis conuersus est, & suavis, amabilisque vultus, quo illos, tanquam filios, & amicos, intuebatur, mutatus est in iram, & furorem contra ipsos, oditque eos tanquam inimicos, expulit eos magno cum opprobrio de habitatione cæli, bonorumque Angelorum societate, æternisque inferni supplicijs addixit, nullo ipsis tempore neque commoditate pœnitentiæ, quippe cuius incapaces sunt, agenda concessit. Creavit Deus primum hominem, in paradiso posuit, deditque illi magna, & pretiosissima dona naturalia, & supernaturalia, per quæ partem sensitivam rationi, & rationem voluntati Dei subiectam habebat; magnam item sapientiam, communicationem.

a. Job. 14. 18.

nem.

nemque cum Deo, & Angelis eius habebat, & dominium per amplū in omnes creaturas, & facultatem non moriendi, nec ulli malo pœnæ subiaccendi, magnam cum Deo amicitiam, & ius ascendendi in cælum absque transitu per mortem. In hoc felicissimo statu cum esset, peccauit mortaliter, comedendo de arbore vetitâ, ut uxori suæ morem gereret. Et in eodem temporis puncto Deus ita illi iratus est, ut eum quamprimum exuerit bonis gratuitis ac supernaturalibus gratiæ, & iustitiæ originalis, multisque alijs, quæ ipsi deederat, & magnâ ex parte naturalibus, quæ quasi debita erant naturæ rationis capaci: eundem de paradiso eiecit, morti, omnibusque huius vitæ miserijs subiecit, & secundum præsentem iustitiam ad perpetuum inferni carcerem condemnauit. Et postquam is peccatum suum agnouit, eiusque poenitentiam egit, damnauit illum ad carcerem limbi, ubi quatuor millibus annorum fuit, donec Christus in Cru-

ce ex-

ce expiravit. Neque solum Deus hoc peccatum in personâ Adami, sed etiam in vniuersis, qui per naturalem viam ab eo descendunt, hominibus punijt, siquidem omnes communi lege (exceptâ Virgine Deiparâ, quæ in hoc privilegiata fuit) in peccato originali, & offensâ Dei concipiuntur, suntque filij iræ, & ad exilium à cælo, limbi que carcerem condemnantur. Et propter hoc peccatum incidit humanum genus in tantam rerum diuinarum ignorantiam, & stupendis erroribus, peccatisque grauissimis, atque horribilibus repletum est. Propter hoc peccatum introiuit mors, & omnes infirmitates, dolores, aduersitates, casusque miserabiles, & horrendi, qui vitam subito eripiunt, & crudelitates, fraudesque inter homines. Propter peccatum homo Diabolo subditus, eiusque mancipium factus est; & propter idem sensitua hominis pars contra spiritum rebellis, plenaque passionibus animam impugnantibus est reddita. Per huius
pec-

peccati occasionem periērunt, & damnatae sunt in omnibus temporibus, & aetatibus, pereuntque, ac damnantur quotidie infinitae animae; nam ex peccato originali, quod humanam corrumpit naturam, occasionaliter cetera omnia peccata procedunt. Hisce omnibus malis Deus peccatum Adami ultimum est, & puniit in omnibus eius posteris declarans per hoc, odium, quo peccatum prosequitur; siquidem id tantum horrendis prosequitur poenis, tantumque ad destruendum illud facit. Postquam homo è paradiso eiectus fuerat, cepit multiplicari hominum generatio, & magno numero super faciem terrae in diuersis regionibus propagari; & per semetipsum originalis peccati, quod ab Adamo hereditate acceperant, ceperunt committere peccata actualia, quibusque naturam corrumpere. Et cum videret Deus magnam in hominibus regnare malitiam, iratus est eis, & tanto in eam odio, tantoque cum desiderio ipsam prosequendi; ut decre-

uerit

uerit destruere, & consumere aquis diluuij vniuersos homines, qui in mundo erant, exceptis octo personis in arcâ. Neque solos occidit adultos, qui peccauerant, sed etiam eorum paruulos, qui nullum delictum commiserant. Neque tantum homines peccati capaces submersit, sed etiam animalia, quæ seruiert hominibus, qui peccauerant. Hæc pœna, quam Deus destruens totum mundum propter peccata sumpsit, explicata est à S. Petro his verbis: *a Et originali, seu antiquo mundo, qui scilicet in origine, ac principio suo fuit, ipse non pepercit, nec eum impunitum reliquit, sed Noë iustitiæ suæ præconem cum octo alijs personis, qui cum ipso fuerunt, custodiens, diluuium mundo impiorum induxit. Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum, quæq; circumuicinæ erant, propter habitatorum peccata punijt, comburens eas, & in cinerem redigens; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, ac terrorem, vt*

G

vide-

a 2. Petr. 2. 5.

videant, & agnoscant se, si peccant
 nec in tempore ad frugem redeunt
 poenâ æternâ, etiam sæpè temporal
 quæ damnationis ipsorum principiu
 sit, multatum, atque damnatum iri.
 S. Petrus. Consideremus igitur in
 exemplis, quantum malum sit pecc
 tum mortale, & immensam illius g
 uitatem, siquidẽ Deus, infinita sapi
 tia, id tantopere odit, ac persequitur
 vt propter vnicum mortale peccatu
 in momento comissum, tantam Ang
 lorum, qui Dæmones facti sunt, multi
 tudinẽ cælo pepulerit, ac sine reme
 spe flammis æternis addixerit: vt
 vniuerso generi humano propter
 peccatum, quod Adam commisit, tu
 tus id facilem veniam habiturũ, ad
 iratus sit, vt illud omnibus bonis g
 tuitis, quæ ei in personâ Adami ded
 rat, eo modo exuerit, & in tot summi
 rum malorũ corporis, & animæ g
 ribus, tantisquæ damnationis pericu
 lis, & occasionibus immersum reliqu
 it, vt valdè pauci sint, qui saluantur

ad
 vt i
 cor
 tiæ,
 tian
 que
 tam
 pec
 rico
 sua
 pec
 futu
 sum
 dest
 hom
 pecc
 Sane
 posse
 odiu
 tum
 scilic
 Alij
 odiu
 lant
 a

ad innumerabiles, qui damnantur: Et
ut idem Deus, licet infinita sit miseri-
cordia, & fons pietatis, atque clemen-
tiæ, sciatque fragilitatem, & ignoran-
tiam hominis, & malas inclinationes,
que per peccatum originale intrârunt,
tamen videns, eos suapte voluntate
peccata commisisse, conuerterit mise-
ricordiam suam in iram, & pietatem
suam in iustitiam; & ad persequendum
peccatum; timoremque id committendi
futuris seculis imprimendum, vniuer-
sum humanum genus submerserit, ac
destruxerit, condemnans innumeros
homines, quos mors inopinantes in
peccatis suis deprehendit. Præclare
Sanctus Bonaventura, a nihil, inquit,
posset cogitari, quin Deus fecerit propter
odium peccati; ipse enim propter pecca-
tum semel ferè dissipauit omnia opera sua,
scilicet totum mundum per diluuium.
Alij reges, & potentes in præiudicium,
odiumque suorum inimicorum, depopu-
lant terras eorum: Deus autem dissipauit

G. 2 ter.

a D. Bonau. l. diata salutis, c. 1.

terram propriam quia peccatum intravit
 rat terram suam. Alij homines, qui dan-
 num aliquod, vel nocumentum acci-
 piunt in suis rebus, eam duntaxat tol-
 lunt, quæ illud passa est: propter vitium
 corruptum non proiciunt in mari vasa
 rea, vel argentea, sed seruant vasa, &
 vinum effundunt: Deus autem non solum
 peccatum, sed etiam vasa peccati, id est
 creaturas rationales, scilicet Angelos,
 animas ad suam imaginem factas, &
 precioso sanguine redemptas, in odium pe-
 ccati proicit in Oceano infernali. Hæc
 Bonaventura, quibus valde manifestum
 immensum odium, quo Deus culpam
 quique eam committit, peccatorem
 in quantum peccatorem, & peccati
 mortalis gravitatem prosequitur.

*Idem declaratur ex eo, quod Deus ad
 destruendum peccatum fecit, ipsum ab
 animabus tollendo.*

C A P. XIII.

Ostendit quoque Deus odium suum
 in peccatum, ipsiusque peccati gra-
 vitate.